

CCIV.

Anno 1627. die 20. Maji. Viennae.

Ferdinandus II. Rex SS. et OO. notum reddit, se Banum nominasse et commissionem in negotio Valachorum constituisse.

Ferdinandus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregij et Nobiles, Prudentes item et Circumspecti, fideles nobis dilecti. Ea quae penes Credentiales vestras literas ad Majestatem nostram datas, Nuntij fidelitatum Vestrarum, Reverendus Benedictus Vinkovich, Praepositus Maior Ecclesiae Zagrabienensis, ac Magnus Casparus Konyszky de Konschina, Consiliarius noster, nomine vestro, tam constituendo Bano, sicut etiam Commissione illa de Valachorum negotio, ac alijs nonnullis publicis causis, nomine vestro repraesentaverunt, benigne intelleximus ac sufficienter. Ac quidem quoad officium Banatus benigne nos in personam fidelis nostri Spectabilis ac Magnifici Comitum Sigismundi Erdeödy de Moniorokerek, perpetui Montis Claudij et Comitatus Varasdinensis Supremi Comitum, Consiliariorum nostri, benigne resolvimus, quem etiam fidelitatibus Vestris per praesentes literas nostras praesentamus, Banumque Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae nominamus et constituimus, volumusque, ut observato rite et more in similibus alias quoque observari consveto, ipsum suscipientes, ac pro vero, legitimo ac indubitato Bano agnoscatis, eidem in omnibus, quae ex requisito talis officii sibi incumbendis ordinaverit, commiseritue, morem gerere ac obtemperare debeatis. In negotio autem Commissionis prosequendae, ut eo quam primum oportuno et idoneo tempore instituat, necessarias expeditiones fieri demandavimus, easque ad manus Praesidis eiusdem Commissionis, fidelis nostri Reverendi Pauli David, Episcopi Quinque-Ecclesiensis et Consiliariorum nostri, medio praefatorum Nunciorum Vestrorum direximus. Habet is in mandatis ut fidelitates Vestras suo tempore de loco et Terminis exequendae Commissionis certificet. Caetera quae ad hoc requisita fuerint, ab ipsomet intellecturi. Quibus nos in reliquo gratia et clementia nostra Caesarea et Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna die vigesima Mensis Maji. Anno Domini M.D.CXXVII.

Ferdinandus.

Laurentius Ferenczffy.

Ex Protocollo Regni Congregationis 1627.